

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES  
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A. Level Medieval Latin Examination

September 4, 1991

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

---

1. An Irishman visits the Shrine of St. Tecla

Homo quidam pulcher aspectu et eleganti forma, natione Hibernensis, nomine Aeith, habebat pulcherrimos oculos et tamen nihil uidebat, quia ab infantia sua caecus extiterat. Hic inito consilio disposuit ire Romam causa uisitandi limina beatorum apostolorum Petri et Pauli et quaerere misericordiam eorum de infirmitate sua apud deum. Et cum iter faceret, contigit eum transire per ecclesiam sanctae Teclae in Wallia, quae dicitur Lantteglin. Vbi audiens mirabilia magna quae deus faciebat pro beatissima uirgine Tecla, diuertit in porticum ante ualuum monasterioli, in quo hospitalitatis studio lectulum suum componens ait: Nunquam ab isto loco amplius discedam, nisi deus fecerit mihi misericordiam suam de infirmitate mea propter merita uirginis suae Teclae, sicut et aliis saepius fecit. Homo ille ibi iacuit per XII menses omnino caecus, ducens bonam et religiosam uitam, uigiliis et orationibus insistens, quousque omnipotens deus reddidit ei uisum suum pro meritis beatissimae uirginis suae Teclae. Postea uero iturus Romam, sicut ante disposuerat, clare uidens discessit.

## 2. Isidore on Martyrs

Martyres Graeca lingua, Latine testes dicuntur, unde et testimonia Graece martyria nuncupantur. Testes autem ideo vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, et usque ad mortem pro veritate certaverunt. Quod vero non testes (quod Latine utique possemus), sed Graece martyres appellamus, familiarius Ecclesiae auribus hoc Graecum verbum sonat, sicut multa Graeca nomina quae pro Latinis utimur. Martyrum primus in Novo Testamento Stephanus fuit. Idem autem ex Graeco sermone in Latinum vertitur coronatus: et hoc prophetice ut, quod sequeretur in re, vaticinio quodam futuri prius in vocabulo resonaret. Passus est enim, et quod vocabatur accepit. Stephanus enim corona dicitur; humiliter lapidatus, sed sublimiter coronatus. Duo sunt autem martyrii genera, unum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, et cunctis carnalibus desideriis resistentes per hoc, quod se omnipotenti Deo in corde mactaverunt, etiam pacis tempore martyres facti sunt, qui etiam si persecutionis tempus existeret, martyres esse potuerunt.

## 3. Statutes for ordinations

Episcopus cum ordinatur, duo episcopi ponant et teneant euangeliorum codicem super ceruicem eius, et uno super eum fundente benedictionem, reliqui omnes episcopi, qui adsunt, manibus suis caput eius tangant.

Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant.

Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum siue baptizatum siue catechumenum.

Lector cum ordinatur, faciat de illo uerbum episcopus ad plebem, indicans eius fidem ac uitam atque ingenium; post haec, expectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus est, dicens ad eum: Accipe et esto uerbi Dei relator, habiturus si fideliter et utiliter impleueris officium, partem cum his qui uerbum Dei ministrauerunt.

#### 4. The Revolt of Hildegard at Laon (Oct. 841)

Interea nunciatum est Karolo quod soror sua Hildigardis Adelgarium quendam ex suis captum haberet et in urbe Laudunensi una secum custodiri fecisset. Qua pro re expedites ad hoc opus Karolus sibi delegit ac protinus, decedente jam die, his in partibus festinus perrexit; distabat enim urbs eadem plus minus leuvas xxxta. Per totam siquidem noctem iter faciens impediante gelu praevalido, hora fere diei tertia insperate subito sorori et civibus cum infinita multitudine nunciatur Karolus adesse, omnisque urbs militibus circumdata fore. Quo quidem nuncio exterriti, quoniam nec evadendi nec aderat spes moenia tuendi, pacem sub una eademque nocte petunt, Adelgarium confestim reddunt et ut se urbemque absque conflictu in crastinum dedant cum omni subiectione promittunt.

Dum haec agerentur, milites moram hujus rei graviter ferentes, insuper laboris tedio quod praeterite noctis passi fuerant permoti, in excidium urbis ruere undique coeperunt; essetque procul dubio protinus flammis rapinisque tradita, ni idem Karolus minis atque blanditiis horum animos maximo labore compescere studuisset.